

ALBERTVS BRANDENBURGENSIS MARCHIO, ACHIL-  
les Germanicus dictus.



**A**lbertus ille filius fuit Friderici, quem Sigif-  
mundus Cæsar ex ea familia electorem pri-  
mum Brandenburgensem constituerat. Erat autē  
Albertus magna corporis & animi uirtute prædi-  
tus. Itaq; à patre marchio Brandenburgēsis, in ea  
ditione quam amplissimam circa Nurenbergam  
habuit, constitutus est. fratrem autem eius natu se-  
niorem, magnæ prudentiæ principem, pater mo-  
riens electorem reliquit. Is Albertus ab ipsa pueri-  
tia, ac teneris, ut aiunt, unguiculis educatus in ar-  
mis, pluribus interfuit prælijs, quàm alij sui tempo-  
ris duces aut uiderint aut legerint. Militauit in Po-  
lonia, pugnauit in Silesia, castra posuit in Prussia,  
& hostes in Bohemia fudit. Nullus in Germania terrę angulus erat, quem nõ  
armatus calcarit. duxit innumerabiles exercitus, prostrauit ferocissimos ho-  
stes, & expugnauit munitissimas urbes. In congressibus pugnam prior iniit.